

Peccatū maximū est cognoscere uxori chā in prōposito

571

nerabilis Paulus coniugibus ait: Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu ad tempus ut uacatis orationi, & i' erum reuertamini in idipsum, ne tentet uos satanas propter incontinentiam uestram. Quod putari posset nō esse peccatum miseri scilicet coniugi non filiorū procreādorū causa (quod bonum est nuptiale) sed carnalis etiam uoluptatis: ut fornicationes siue adulterium, siue cuiusquam alterius immunditiae mortiferum malum, quod turpe est etiā dicere, quò potest tētante satana libido pertrahere, incōtinētum deuitet infirmitas. Posset ergo, ut dixi, hoc putari non esse peccatū, nisi addidisset: Hoc autem dixi secundum ueniam, non secundum imperium. Quis autem iam neget esse peccatum, cum dari ueniam facientibus apostolica autoritas fateatur? Tale quiddam est, ubi dicit: Iam quidem omnino delictum est, quia iudicia habetis uobiscum. Quare non magis iniquitatē patimini: quare non potius fraudamini, ut ad illud redeatur, quod Dominus ait: Si quis uoluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecū contendere, dimitte illi & pallium. Et alio loco: Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Prohibuit itaque suos Apostolos de secularibus rebus, cū alijs habere iudicium, quod dicit esse delictum. Et tamen cum finit in ecclesia talia iudicia finiri, inter fratres fratribus iudicantibus, extra ecclesiam uero terribiliter uetat, manifestum est, etiam hic quod secundum ueniam concedatur infirmis. Sunt autem quædam, quæ leuissima putarentur, nisi in scripturis demonstrarentur opinione grauiora. Quis enim dicitem fratri suo, Fatue, reum gehennæ putaret, nisi ueritas diceret? Aut quis existimaret, quām magnum peccatum sit, dies obseruare & menses, & annos, & tempora, sicut obseruant qui certis diebus, siue mensibus, siue annis uolunt aut nolunt aliquid inchoare: eo quod secundum uanas doctrinas hominum fausta uel infausta existiment tempora, nisi magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait: Timeo uos ne forte sine causa laborauerim in uobis. Quām multa sunt alia peccata, siue in loquendo de rebus & negotijs alienis, quæ non ad te pertinent, siue in uanis cachinnationibus, cum scriptum sit: Stultus in risu exaltat uocem suam, sapiens autē uix tacite ridebit. Siue in ipsis escis quæ ad necessitatē sustentandæ huius uitæ præparant, audior atq; immoderatior appetitus: siue in uendendis & emēdis rebus caritatis & uilitatis uota peruersa. Propter hæc & huiusmodi peccata, & alia, licet his minorā, quæ fiunt uerborum & cogitationum offenditibus, apostolo Iacobo confitente ac dicente: In multis enim offendimus omnes, oportet cottidie crebroq; ore mus dominū, atq; dicamus: Dimitte nobis debita nostra. Nec in eo qd sequit, mētiāmur: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Pro qbus etiam sacrificia & eleemosynarum & iejuniorum quisque pro suis uiribus offerre

de libidine coniugii

Judicia in ecclesia

ut facit Ro: xx:

Sicut in rīfū  
exaltat uocem